

CANCELL:  
MARTIS B.  
1717:

~~K~~ zu OT L

7

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
DE  
**VOCATIONE DIVINA  
NATURALI,**  
Q. V. A. M.  
CONSENSU AMPLISSIMÆ FAC. PHI-  
LOSOPH. IN ACADEMIA LIPSIENSI  
P R A E S E S  
**M. FRIDER. GOTTLIEB. Krantz/  
SCHKEUDITZ. MISN.**  
DIE III. FEBRUARII MDCCXIV.  
PLACIDÆ ERUDITORUM DISQVISITIONI  
SUBMITTIT,  
R E S P O N D E N T E  
**JOHANNE HENRICO FISCHERO,**  
GERA-VARISCO.  
SS. THEOL. STUD. ET PHILOS. BACCALAUR.

---

L I P S I A E,  
LITERIS ANDR. MARTINI SCHEDIL.

1600  
DIE KUNST DER HISTORISCHEN  
DE  
ACGATIONE DIVINA  
NATURALIA  
CONSERVATIONIS AMBIVISIVITATE PHIL  
SCHILLER  
ALBERTUS MUS  
SCIENTIA  
DIALECTICAE  
HAGIOGRAPHIA  
JOHANNES HENRICUS HERCERO  
1600  
1600



Lectori Humanissimo

S. & O.

**D**eo Cathedra Academica, ut haberem, de quo tunc  
Inclito Philosophorum Ordine post summos in  
Philosophia honores mihi benevoli impertitos,  
tum Parronorum, quos deveneror, exspectatio-  
ne jubente, non inutiliter differerem, oppido in-  
cidit mihi jucundissima pariter ac utilissima de  
Vocatione Divina Naturali materia, quam Germani per tritum  
eloquendi modum: Er ist dazu gebohren; tacite quidem innuunt,  
nec satis tamen sepe apprehendunt. Ne vero dissertationis meæ  
rubrum, quod ea quidem de causa eodemque nomine insignitum,  
est, barbarismi aut me quoque pruritus novitatis quis insimulet,  
autoritas B. Christiani Chemnizii satis tutabitur; Cum enim B.  
Virum haudquaquam lateret, non solum dotibus corporis & ani-  
mi naturalibus, sed & propensione cuiuscunque singulari Voca-  
tionem Divinam Naturalem absolví, receptum quasi omnium suf-  
fragio Canonem libello suo de Instruccióne Ministri Ecclesie ipso  
taxat inseruit: Existimus, naturalem istum imperum sive  
proclivitatem ad aliquam facultatem & studium aliquid quasi  
divini esse, & propterea ipsum ejusmodi naturæ motum  
& imperum, qui in liberorum ingenii deprehenditur, haben-  
dum esse censemus, pro certo medio aliquo, per quod ve-  
luti amico ductu unumquemque DEus ad certam functio-

A 2

nem

4 DE VOCATIONE DIVINA

nem & hanc aut illam professionem VOCIT ETI. c p. 8. Quia  
Autoritate Langius etiam nixus, verba maxime ponit consonantia: In donis naturalibus maxime connatis latitat Vocatio  
DEI, quam NATURALEM vocant, cum sine dubio ad  
id quisque a DEO sit destinatus, ad quod ipsi DEUS vel proportionatas vel singulares concescit animi corporisque dotes. in  
Suppl. ad Theol. Mor. Baieri p. 121. Sed cum tela etiam prævide-  
am, que forsan vibrari queant ad nigrum, quod vocant, de-  
struendum, in quo subinde præsupposui, dari eusmodi vocatio-  
nem Divinam Naturalem, que sū decretum in DEO; hoc scuto  
ea excepsisse præliminariter sufficiat, quod, quia tota Natura in  
esse, fieri & operari a DEO dependet, nec adeoque convenien-  
ter sūt naturæ (sensu innoxio sunt&;) vivere, nihil aliud esse  
possit, quam sequi DEUM. Vid. Lips. Stoic. Phisic. Lib. II. disp.  
XVI. necessario præsumenda sū voluntas DEI, uniuscujusque do-  
tes & propensionem naturalem ad suum sūnem destinans, que ut in  
tempore se habere deprehenditur, sic ab aeterno fuisse adparet,  
eamque Decretum ideo, destinationem subjecti per certa media  
ad aliquem Terminum alias denotantem, appellari posse exinde  
liquido constat. Que tamen omnia cum ceteris in hac Tracta-  
tione sub Presidio Summi Numinis pace Tua, B. L., fusiū per-  
sequemur. Vale!

---

I. N. F. A.

DEFINITIO.

**V**OCA TIO DIVINA NATURALIS est decretum  
DEI, qua per indolem atque dotes suas cuique natura in-  
ditas & annexam peculiarem propensionem eum ad certum  
& illis proportionatum vitæ genus aut officium destinat, ut illas  
excolat, ad hoc vero in societatis salutem atque Divini Numi-  
nis gloriam se rite applicet.

AXIO-

*AXIOMA I.*

**D**EUS suam cuique indolem atque dotes natura indidit.

**SCHOLION.** Quum in hac tractatione, prælibata, quantum satis erat, de definito ejusdemque generis materia, dotes naturales necessario primum sibi vendicent locum, ac proin magnam Themati lucem affundere videantur, sicubi judicij nervis altius desfixis eas indagare, atque ad præsentem animum revocare velimus; non dubitabimus, paulo prolixiori explicationi inhærere: ita tamen ab ambagibus nobis temperandum erit, ut quoad ejus fieri potest, ad Definitionem, Divisionem, seorsim Causas, subjectum & adjuncta quædam & finem, omnia reducamus. (1.) **DEFINITIO:** Dotis autem nomine eas potentias naturales complectimur, a Deo benigniore naturæ cuiusvis superadditas, quibus aptiores & præstantiores sunt ad hoc vel illud agendum. Ubi citra omnem vocum investigationem grammaticam hic non necessariam, generis loco potentiam seu facultatem naturalem ponimus, ad differentiam habituum, Aristotelico sensu qualitatem acquifitam per modum potentiae subjecto firmiter inhærentem importantium. Thomas. Log. c. XIII. tum ad contradistinguendū has dotes habitibus extraordinarie infusis & citra vires naturæ communicatis, qualis fuit respectu corporis. v. g. Simsonis robur, respectu vero animi v. g. *Georγeusia*, qua Propheta & Apostoli, coetera quoad majorem partem rudiores, multis aliis, quanquam insignibus naturæ dotibus exornatis, palmarum cognitionis atque scientiæ præripiebant, utpote, quæ supernaturalium dotium numero accensenda veniat. Unde vel exinde liquido constat, dotes naturales auræ divinæ particulæ male a Stoicis insigniri nomine. Lipsius Lib. II. Stoic. Philosoph. Disp. XVII. Præterea differentia, qua, prout ex definitione liquet, naturæ superadditæ sunt, & in aptitudine connata hoc vel illud facilius tractandi confidunt, reliquas facultates corporis ac animi ab his dotibus discernit; Quanquam enim facultas intelligendi & volendi, eundi, &c.

A 3

re-

remote ad studia & artes tractandas faciant, tamen quo facilius id fiat, proxime concurrunt haec dotes. Unde eas Possevinus, ingenii in primis, per Indolem certam definit, *quafasile res aut artes addiscuntur.* Tr. de Cult. Ing. C. X. (II.) DIVISIO. Haec igitur dotes, quatenus certo subjecto inhærent, duas fedes habere deprehenduntur, & respectu harum in dotes corporis ac animæ dispescuntur. Ad corporis itaque dotes ratione sensuum externorum refero nativam oculorum actionem, integritatem vel etiam perfectionem auditus, gustus, olfactus & tactus: Et quanquam horum perfectiones exigui usus esse videantur, eorundem defectus tamen, qui sœpe in quibusdam hominibus obtinent, multum difficultatis iis studiis perficiendis faceantur, quibus horum perfectione vel ad minimum integritatem opus est.

Ratione quoque cœterarum corporis partium habita, suo jure etiam in censum dotum redigi meretur vox sonora atque distincta, membrorum apta atque concinna dispositio, quam Barclajus in Gallis tanquam peculiarem nature felicitatem predicat. Icone Animorum c. III. p. 90. Et tandem Temperamentum non infelix, quatenus exinde agilitas, decor, robur & sanitas corporis dependet.

Ad animi vel ingenii late sic dicti dotes pedem promoturus, in intellectu statim deprehendo dotes memoriae, Ingenio & Judicio superadditas atque congenitas, quæ Epiceto φύσις: cap. 36. Enchirid. in Φύσις καὶ ιδαιμονία Stoicis, test. Morhoff. Polyhist. Lib. II. c. I. De Delectu Ingen. Minerva, Poetis, Genium Barclajo Lib. cit. I. p. 35. Germanis: Ein guter Kopff; dicuntur. Quo circa etiam apud Græcos frequens appellatio in Concreto est ινδαιμόνων καὶ ινημάθεων test. Possev. de Cult. Ing. c. XX. Harum autem memoriae dos facultas est, ideas per sensus oblatas celeriter apprehendendi, discriminandi & retinendi; Ingenii, hos e memorie penitus deprimtas ideas venustè componendi; & denique Judicij has Ingenii compositiones in ordinem redigendi atque sensum veri & falsi elicendi: Quibus tamen adhuc accedit Naturalis ad peculiaria studia vivendique certum genus propensio, quæ cum

a vo-

a voluntate c̄itra repræsentationem & determinationem intellectus statim a puero sese exserat, hominem calcitret ac extimulet, loco nutus DEi habenda est, efficaci homines ad certa studia flectentis obsequio. Qua de propensione Barclajus: *Non vano aut dissimilato impetu, inquit, sua quemque natura abripit in studia, ad quæ potissimum factus est* I. c. p. 33. Qua propensio tamen, si vera & divina sit, examus si respondere debet intellectus dotibus: Unde pergit Barclajus: *Juventus, ad eam potissimum partem divertit, cui diligenter excolende idoneam mentem genitumque acceperat.* I. c. p. 35. III. CAUSÆ: Sub examen jam revocaturis, causas dotium corporis ac animi, DEum, ut datorem omnis bono, ita & horum bonorum in homine esse Causam Efficientem, primam & supernaturalem, statuendum erit, cuius eo magis perfusi sumus, quo minus diffiteri possumus, vel rationem etiam sibi relictam non posse non sibi de DEO Entis perfectissimi conceptum formare, a quo ideo omnis perfectio exspectanda sit. Quo circa etiam apprime Jamblichius: Θάλα, inquit, αγρία, ἀρχή, τέλος μέσον, ής δέ τις αντίσχεσθαι μέλλονται εὐδαιμονεύεν cit. Westhusio Comment. ad Plutarch. p. 49. Quod si vero queratur: an specialis concursus DEI efficientis ad producendas in hoc vel illo homine dotes singulares requiratur, non est, quod ambigamus: quod si enim extra omnem dubitationis aleam positum est, naturam contra Intentionem DEI in deterius ruituram, nisi pecantem sepe DEus alio disponeret, necesse est speciali quodam concursu DEum illi succurrere, ac certis quibusdam hominibus, pro miranda sua bonitate naturam obstetricem largiri, quam communi naturæ cursu novercam fuissent experti. Accedit, quod ex varietate dotium ratione subjectorum invicta ne statutur consequentia: Quod si enim sensus edocere poterat, liberos iisdem parentibus prognatos, eodem temporis articulo & fatos & in hanc lucem editos, mira tamen dotium coeterarumque qualitatum varietate conspicuosi sepe esse, sole meridiano cœcutiire is merito diceretur, qui perlustratis hisce phænomenis mentis oculorum acie perspicere non possit, subsuisse causam supernaturalem, quæ

tana

tam efficaciter quam specialiter in horum naturam influxerit, ut iis, quæ eandem depravare poterant, sublatis; tam animam quam corpus plane diversis, iisque exspectatione melioribus donis instruxerit. Quæ cum alia sit nec esse possit, nisi DEus, haud tamen eo extendendum est, ut semper immediate & specialiter influendo agat, ut potius suas sibi subordinatas causas, quarum proxime mentio injicitur, libere agnoscat. Prima Causa itaque erucleata, commoda satis occasione ad Secundas seu physicas erit transiendum. Quorum tamen aliæ remote aliæ proximæ sunt. Remote huc influit Parentum corporis ac animi constitutio seu rotundus Temperamentum, ut nullum dubium sit, quin dotes corporis ac animi Temperamento Parentum ut plurimum debeamus. Exinde quoque subnatum tritum sermone proverbium: *Der Apfel fällt nicht weit vom Stamm.* Nec est, quod regeras, alio saepè Temperamento, aliis moribus atque Inclinationibus, quam Parentum sunt, liberos saepè prognosci; concedendum quippe id ducimus ambabus manibus, si cubilæca causa ab aliis in operando intercipiatur vel DEus semina Parentum contra communem cursum naturæ ita disponuerit, ut seminarum necessario Heterogeneum prodeat. An vero ideo sequatur, Parentes certis mediis a Calvio Sceto in Callipædia sua temere subministratis, possè sapientes liberos edere, id merito Morhoff. inter vigilantium somnia retulit. l. c. Inficias interim iri nequit, Parentes saepè in culpa esse, ut liberi nullis vel saltim exiguis corporis ac animi dotibus conspicui ipsis nascantur; id quod tum eorum intemperie & luxui adscribendum est, unde fit, *ut crassius corpus plerumque spiritus stupidiores in liberos a se genitos transmittat.* vid. Morhoff. l. c. Quæ etiam causa fuit, ut Diogenes, conspiciendo puerum natura dementem: *Puer, diceret, Pater te ebrios seminarvit;* tum impressioni mater næ, quod multa edocent exempla, forte imputandum.

Ordinem præterea quoque causarum remote, quamvis impari gradu huc influentium aura exterior, quæ ratione Climatum variat, ingreditur. *Quedam enim gentes a calo ita*

*ita formatæ sunt, ut propria morum unitate sint conspicuae,* vid.  
 Petr. Gregorium Tholoz. Lib. IV. de Republ. Unde quod in-  
 primis sibi datum esse credidit Barclajus, ut in animos cuius-  
 vis fere populi investigaret, in omni gente tandem depre-  
 hendit *quandam vim inconcussam* ( quam Buchner. in not. de  
 Ingenii dotibus explicat) *quam hominibus pro CONDITIO-*  
*NÉ TERRARUM, in quibus nasci contigerit, sua fata divi-*  
*serunt.* Qua de causa saepius cuiusdam Spiritus mentionem  
 facit, qui singulis regionibus proprius, nascentibus habitum  
 & cupiditatem statim ingeneret. c. II. p. 68. sqq. An vero eo-  
 usque procedere liceat, ut constellatiōni Natalitiae tanta in-  
 fluendi efficacia attribuenda sit, ut exinde certorum unius-  
 cuiusque eventuum auguria peti queant, id, quod orbitam  
 atque sphæram dissertationis nostrā excedit, intactum alio-  
 rumque curiosae disquisitioni relinquimus. Etsi autem in  
 vulgus notum sit, eos, qui studiose astra contueri assolent,  
 certissimos non solum ex adspectib⁹ insanti nato vita generis  
 mortisque eventus, sed & cuique Planete peculiarem  
 influendi vim in concepti vel concipiendi infantis corpus  
 & animam præbeant, & in primis Mercurium ingenii, Sa-  
 turnum Judicio & Memoriæ &c. succurrere non dubitent.  
 test. Morhoff. l. c. tantum tamen abest, ut eventus, nisi quandoque per accidens, responderit promissioni, quam saepè creduli Parentes magno applausu exceperunt, quin potius hos  
 hiantes delusos esse, illos vero turpiter se dedisse, multitudine exemplorum comprobari potest. vid. Tr. ante paucos  
 annos editum, cui tit. Mr. Oufles *Seltzame Einbildungen.*

Proxima denique optimo jure Temperamentum i-  
 psius subjecti, cui Dotes inhærent, dicetur. Nam quod  
 prolixè probavit Galenus in libro, *quod animi mores sequan-*  
*tur Temperantum*, id non solum ad intellectus facultates faci-  
 le applicabile est, sed etiam ex multis phœnomenis se se  
 nobis objicientibus evictum dari potest. Et quo propius  
 ad rem accedamus, ut plurimum Phlegmaticum Tempera-  
 mentum memoriam tenacem, Sanguineum ingenii vivacita-  
 tem, Melancholicum judicij aciem parere videmus. conf.  
 diff.

diff. Dn. Stahlii de Temp. Physiol. Physiogn. enucleato, re-  
cusa 1707. Hale. Et quo magis inde hæc Temperamenta in-  
ter se permixta sunt, eo magis has dotes in uno eodemque  
subjecto mixtas esse deprehendimus, quanquam una earum-  
dem, perinde ut Temperamentum, principatum sibi arro-  
get. Et quamvis adeo non liqueat, quomodo Tempera-  
mentum in animum inprimis influat, ut ad illius constitu-  
tionem anima se componat, & tam amice cum eodem con-  
spiret, res tamen oppido manifesta est, ut nec Carthesii  
oculum effugere potuerit, cum ad tres causas relaturus in-  
genii diversitates, mentionem Temperamenti injicit, quam-  
vis suo judicio etiam constitutionem Cerebri his subjungat.  
Tr. de Homine. Nec inde quoque ab ludunt Plato & Posse-  
vinus, quorum primus inter causas divinas & humanas me-  
dio loco naturales, Elementorum sc. & calimentorum collocat;  
alter vero, ingenism, inquit, existit e quatuor primarum qua-  
litatum Temperatura, calidæ, frigide, humide, & sicce, unde &  
varietas ingeniiorum prodit. l.c. c. X. Quo circa etiam, quo  
minus Temperamentum ex classe cauilarum dotium natu-  
ralium respectu animi exturbandum est, eo magis in corpus  
influere, ejusdemque dotium causa dici meretur. Hinc flu-  
ere arbitrer, ut, qui Phlegmatico Temperamento laborant, in-  
epta & segnia ad actiones membra afferre dicantur, quum e  
contra, quos alma naturæ parens cholericо-sanguineo do-  
tavit, non solum cuius labori perferendo haud impares, sed  
etiam magna molientes existant. Coeterum Educationem,  
qua p. nutritione p. informatione absolvitur, & ab aliis  
causis quoque annumeratur, merito omittimus, quia non  
tam ad constitutionem, quam elaborationem dotium facit.  
(IV.) SUBJECTUM. Ad subjectum enucleatus ponde-  
randum nos accingimus. Ubi non diffitemur, haud parem  
omnibus contingere felicitatem Naturæ, nec cuius adeo  
que licere adire Corinthum, sed bonus hic rerum omnium  
promus conlusque non omni has delicias indulxit, sed ut  
figulus ex argilla vasa honoris & contumeliae fabricat, sic i-  
dem quoque per excellentes concessas dotes quosdam ad  
fasti-

fastigia honorum evehit, quosdam vero in pulverem & squarem per denegationem earundem projicit. Quod si quoque causa ~~negat~~ sciscitanda esset, cur naturae defectus, quos peccans natura in hujus vel illius corpore vel animo reliquit, non correxerit, forte in iustitia ipsius querenda esset, qui poenam, quas vel tota Natio, Patria, in quam certe graviores poenae non inferuntur, nisi cum ipsis infantes, Stupidiores & hebetiores nascuntur, vel parentes, vel ipsa subiecta per prævisam a DEO forte malam applicacionem dotium promeruerunt, jam tum in anima quam corpore luant. Interim tamen nullo defuit DEUS tempore, quin edere sineret argumenta ingenii, quo ad bonum publicum uti vellet, nisi id peccatis alio rueret, ut verba Huarti meafiam. Scrut. Ing. c. XIII. ubi & exempla allegat, qui a primis statim annis indicia bona mentis ediderint. c. XIX.

Has vero gazas dotium Naturalium non solum invirorum, sed & sexus sequioris animis latitare reclusas adeoque etiam *faminas sepe*, phrasí Barclaji, *in ipsis naturae divitiis conceptas esse*, nemo temere negabit, nisi qui sensus certitudinem ejurari omnem. Et quod de Fulvia aliquando Vellejus Patercl.: *Virilis anima fæminam, nihil præter Muliebre corpus gerentem fuisse, testatur* Lib. II. c. 74: vid. prolix Petr. Gregor. Tholoz. Lib. VII. c. XI. Sect. 70-78. de Repl. id ingenii venustas, memoriae tenacitas & judicium acumen per discursus palpabili indicio se exferens comprobant. Et si quandoque doctrinæ lima expoliretur intellectus, nescio, quam præstantiam pleno jubare exsplendescensem repercussurus esset. Nec proin adeo absurdum est, statuere, utique & eas posse suo modo hæc semina excolare, liet nostra ætas & Reipublicæ conditio eas ad acum & colum & quæ rei familiaris sunt, recte damnet, ne forsitan publicis admotæ muneribus Imperium quoque domesticum sibi arguent, vel ex incommoditate, qua vel uterum gestando vel pariendo vel lectis & privatis parietibus inhærendo per sex hebdomadas ne quidem rebus domesticis rite præesse possunt, Republica detrimentum capiat. vid. prolixissime pro & con-

tra disputantem Petr. Gregor. Tholoz. l.c. (V.) AD JUN-  
GTA: Nunc ultimo quoque dispiendum erit, de Ad-  
junctis Dotium Naturalium, quorum quidem principem sibi  
locum vendicat necessitas, non quidem absoluta, sed relati-  
va seu hypothetica, quatenus nimirum nemo absque debita  
harum ope ad quascunque artes aut studia turgidis velis ad-  
spirare potest. Et qua ratione militibus hostem vincere, at-  
que affectatam reportare victoriam negatum est, nisi & in-  
structi sint armis, quibus juncto contra se umbone phalan-  
ges eludere, atque his de consecunda victoria spem facere  
queant; sic nec is in artibus vel studiis absque armis ex di-  
viti naturae armamentario depromptis difficultates & anci-  
pitites eorum pugnas depugnare, atque vincendo ad metas  
sibi praefixam collimare haud facile poterit. Quod ipsum  
vel exinde manifestum est, quia institutio & doctrina sine  
Natura sit quiddam mancum ac mutilum, & venatum invi-  
tos proin ducere velle canes dicendus esset, qui quendam  
absque debita indole ad professionem seu vita quoddam ge-  
nus præparare allaboraret. Quod ipsum Quintilianum mo-  
vit, ut statueret: *Nihil præcepta atque artes valere, nisi ad-  
juvante Natura, nec præcepta ei, cui deerit ingenium, non ma-  
gis, quam agrorum cultura sterilibus terris. Natura quippe  
Duce utendum est, hanc ratio obseruat, hanc consulit.* Seneca  
de vita Beat. c. VIII. Hinc etiam Gerhardi Vossii sententia  
mihi non adeo placet, concedentis quidem *in sapientiae stu-  
diis multum etiam solam Naturam valere*, seipsum tamen quasi  
reprehendentis, cum subjungit, *ars vero est Dux certior.* Li-  
bello de cognit. sui ipsius p. 7. Et sicuti terre nullam fertili-  
tatem habenti nihil optimus agricola profuerit, sic nec ex in-  
genio, quod stupidum ac sterile natura reliquit, exspectati  
fructus erunt metiendi, quamvis uberrimo doctrina flumi-  
ne inundetur. *Quum e contra quidam ex hominibus egregi-  
am sortiti indolem, adea, que tradiscent, sine magno Ma-  
gisterio perveniant.* test. Lipsio de Conft. Lib. II. Diff. X. Et  
nullo non tempore fuerunt, qui ad varias artes liberales Me-  
chanicas, Statutarium, Graphicam, Mathefin, Poesin, Chi-  
rur-

rurigiam quasi a natura facti , ut ipsi alias simplices , nullis usi doctoribus , ipsis artifices superarent . Morhoff Lib . I . c . XII . Abso-  
luta tamen merito collectio esset habenda , si a comparativa  
abso-  
luta proficiendi illius , quem non omnimoda dotum  
praestantia prædictum esse vides , ad absolutam negationem  
profectus faciendi concludere velles , nam , quod taceam ,  
in nullo se naturam adeo frugalem & parcam exhibuisse , ut  
non satim aliquali capacitate gaudeat , ita nullum quoque  
est dubium , quin summo studio rudiora ingenia exasciari  
posint . Quemadmodum nihil prohibet , quo minus culter ,  
quamvis mutilus ac hebes continua cotis ope expoliri que-  
at . Unde , si forte contingat , ut iudiciorum summa negligen-  
tia vel saltim non debita industria suas dotes excolant , alter  
autem , cui longe inferior obtigit naturæ felicitas , id indefeso  
studio resarcire satagat , non solum quodvis studium suo  
modo vincere , sed etiam optima ingenia multis parafangis  
inferiores relinquere potest . De quibus Barclajus afferit :  
*Multi sue imbecillitatis consciæ , id conantur a laboribus impe-  
trare , quod natura negaverat , & assiduo cultu animum ita mi-  
tigant , ut deinde super alios emineant , qui ad magna feliciter  
nati sunt . I . c . p . 318 .*

Ex NECESSITATE interea , haec tenus demon-  
strata , patescit , inde sponte fluere . Utiliores esse dotes , quam  
quidem siepe a multis habentur , atque sic earum PRÆ-  
STANTIAM inter notantiora Adjuncta esse referendam ,  
præprimis si ( VI ) FINEM , quo ultimo dotes ex intenti-  
one DEI tendunt , penitus excutere velimus , quem com-  
modius tamen haud , quam sequenti Axiomate includemus  
atque edocebimus .

## AXIOMA II.

**D**EUS per indolem atque dotes suas , cuique natura inditas &  
connexam inclinationem eum ad certum aut proportiona-  
tum vitæ genus destinat .

**SCHOLION.** Proœmium jam hujus veritatem  
B3 suffi-

sufficienter ab objectionibus vindicavit, unde illustrationis gratia tantum subjungam, eodem modo nos DEum obligasse & destinasse ad certum vitæ genus ac officium, quos scilicet non contemnendis ditavit naturæ muneribus, quam servum, cui egregia concrediderat talenta, ut majora hujusmodi lucraretur, Matth. 25, 14. nec adeo adparet, quare DEus nolit dotes innatas in usus suos converti, quibus tamen pares sunt, cum præterea DEus & Natura nihil facere frustra deprehendantur, sed omnia ad suos fines in Macrocosmo: (cur ni & in Microcosmo?) destinata sunt. Quo tantum vero hoc Axioma, quod tres distinctas Notiones ambitu suo includit, distinctius capiatur, ob animi oculos (i.) ponenda sunt Media, per quæ destinat DEUS. Et licet antecedenti Axiomate multa de his in medium prolatæ sint, restat tamen adhuc scrupulus eximendus, an & corporis dotes mediorum rationem subeant; Ubi ut affirmem, prægnans ratio suadet, Quanquam enim temere non contradicam, Vocationem Divinam Naturalem primario ex animi dotibus erinetiam esse, eò, quod non solum nobilior pars est hominis anima, sed etiam hujus indole artes & studia maximam partem perficiuntur, corporis dotes vero tum brutis communes, imo saepe horum perfectionibus longe inferiores, tum sibi reliæta ad destinatum a DEo finem adæquate haud applicabiles sunt: nihil tamen officit, quo minus eadem sint secundaria Media, per quæ DEus ad certum finem suum Subjectum destinat, & unde hariolari queat, ad quæ his instrutus natura natus & vocatus sit, quia animæ operationes absque prompto ministerio corporis ejusque aptitudine difficulter succedunt, ac proin in arte vel studio dotes inter animi & corporis constans communicatio intercedat, necesse sit: nec, quo propius rem tangamus, ullo modo conjectandum est, DEum illum, qui corporis dotes non solum nullas habet, sed & multos naturæ in eodem defecitus patitur, ad ejusmodi artem aut vitæ genus destinasse, quod corporis dotes tamen necessario requirebat. Et contra. Hæc dum meditor, opportune mihi Epicteti monitum consideran-

randum obvenit, qui in Enchiridio suo magni hæc pondēris verba ponit: τὴν σπειρίδα Φύσιν κατάμαθε, εἰ δύνασαι βασι-  
σας, Πένταθλον εντειχίσαι, οὐ παλαιστές; ίδε ταῦτα τὰς βραχιό-  
νας τὰς μηρές, κατάμαθε ἀλλο γάρ πρὸς ἄλλο πέφυε.  
h.e. Naturam tuam explora, utrum ferre possis: Quinq̄uer-  
cio vis esse aut Palæstrita? Brachia tua intuere, femora  
considera, nam aliud alius causa peperit. c. XXXVI.

(II.) Jam Terminum ad Quem, certum scilicet vitæ genus aut proportionatum officium, ad quod DEus unumquemque destinat, penitus inquirendum sumo. Et primo quidem hoc, quod ad illud proportionatae requirantur & ducant animi dotes, probandum est (*a*) ex natura dotum, quæ sibi non convenientibus studiis vitæque diversis a se generibus una applicari non permittunt. Cum enim unicuique ingenio summo in gradu una tantum disciplina respondeat, recte concludit Huartus: Unde se variis dedere disciplinis ingenia distrahit. l.c. Cap.XXI. Dotes quoque naturales, cum sint instar clavium, quibus singulis quascunque referare fores negatum est, merito de iis dicitur, id quod est apud Potetam: Non omnia possumus omnes, nec adeoque ex intentione destinantis DEi nisi uni saltem studiorum generi aut artium palmario applicandæ sunt. Qua in parte Barclajus mente meam ulterius explicabit, cum dicit: *Quos ad vi-*  
*lia artificia ignobilis indoles ducit, ii destinatam sibi artem mon-*  
*strarib⁹ fatis agnoscunt, tum quibus potior militaris discipli-*  
*na; tum quos ingenii vigor sive Musis sive negotiis dicavit;* o-  
*mnis denique species animalium in suam tribum adoptatur præ-*  
*rente natural. c.p. 35.* Idcirco etiam suadendum, ne temere ex omnibus aliquid discamus, cum experientia testetur, multos hac ratione tandem nihil didicisse. Præterquam ergo, quod *intemperantia species est, plus quam satis est, scire velle.* Senec. Epist. 89. ex hac tenus dictis liquet, neminem variis sece studiorum tricis implicantem posse ad summa cognitionis fastigia scandere, cum unise totum mancipasse studio vel arti excellentiam magis proficuum & consulendam pariat. Quanquam non absolute prohibendum sit, quo mi-  
mus

nus alia quoque studia commoditatis ergo elaborare quis possit, dummodo cum ejus dotibus non e diametro pugnant, vel horum applicatio societatis tranquillitatem turbet. Et hæc ipsa ( $\beta$ ) vetat, ne variis vitæ generibus nos consecremus. Quemadmodum enim πολυπραγμοσύνη pestis est, corpus Rei-publicæ misere infestans, ac circulos illius maxime turbans, sic ordinis quoque DEUS non potuit non unumquemque ad certam functionem destinasse. Quod ipsum etiam ex propensione naturali nobis dijudicandum reliquit, quæ si vera nec affectata est, uni & dotibus convenienti studiorum generi dedita est vid. Ax. I. Ne vero confusum nobis conceptum de his vitæ generibus aut officiis affrimerimus subordinatae ipsis species, probe pernoscendæ sunt: Quippe cum ex communi sententia artes sint vel liberales, quæ disciplinas, tum superiores, Theologiam puta, Juris-prudentiam & Medicinam, tum inferiores, Philosophiam Realem & Instrumentalem complectuntur; vel Mechanicæ, quæ res p. ex Regno Minerali p. vegetabili p. animali pro objecto habent; vel Rusticæ, quæ agrorum, pecorum &c. cultura consistunt, non incommodè vitæ genera subdividuntur in ECCLESIASTICUM, POLITICUM & OECONOMICUM, quod ad ea hæc artes ex intentione vocantis DEI tendunt. Qui paulo accuratiorem liberalium in primis artium ideam desiderat, audeat Lehmanni Comment. Mor. de Mutat. Stud. §. X.

(III) Actum quoque Destinationis seu Vocationis Divinæ ad artes seu hæc genera vita rimari cum juvet, statuendum est, non eundem absolute, quasi DEus absque respectu indolis, vel etiam hominis determinata cultura ejusdem, hominem ita destinasset, ut non possit non ad destinatum sibi vita genus se applicare, sed ex hypothesi fieri. Cum enim Vocatio Divina Decretum sit, quod destinationem Subiecti per certa media denotat, experientia quoque innuat, multos a benigna natura optime dotatos ingenios desidia vel aliis causis ita se corrupisse, ut per omnem vitam finem a DEO his intentum se fellerint, consecrandum est,

est, Vocationem DEI nullam hominibus inferre necessitatem, sed potius hos obligatos esse, se ipsos ad nutum DEI propria voluntatis determinatione componendi. Quod probe contra Stoicos notandum, qui fato, uti omnia, sic cunctisque studia & fortunam subjiciunt. In scenam hic in primis prodeat Seneca, qui non solum *fata nos ducere, & quantum cuique restet, primam nascientium horam dispositisse arbitratur. c. IV de Provid.* Sed & quamvis inquendo: *Fatum est, ut hic disertus sit, sed si literas didicerit, suam sententiam emollire videatur,* obdurat tamen rursus animum, addendo: *Ab eodem fato continetur ut literas discar.* quæst. Nat. Lib. II. c. 38. A quorum itaque partibus ne stemus, id quoque vetat, quia posita fatali necessitate libertas tollatur, & homines in bruta convertantur, necesse est. Discedendum proinde potius in eorum sententiam erit, qui certas conditiones Vocationis Divina negotium ingredi censem, & culturam dotium inno & fortunæ bonorum conditionem huc teferunt. Vocab DEUS præterea non EXCLUSIVE: quasi Vocatione externa, qua per illos, quibus jus vocandi in his terris legitime commisit, habiles ac capaces personas vocat quocunque modo ex foro Ecclesiastico sit proscribenda, quod contra Fanaticos his temporibus, quibus non exigua pars hominum, perinde ut Arriani ævo miratur se esse fanaticam, probe probeque notandum est; cum Anabaptistis temere statuendo, sartorem & futorem posse absque Vocatione externa publice docere, si Evangelium intelligent, allegati & satis superque confutati a Calov. disp. de Voc. Min. Eccl. Vitemb. 1675. nam ut tacitam luculentissima Scripture dicta cum hac sententia pugnantia & eandem penitus revertentia, verendum est, haereses quam plurimas inde orituras, illud ipsum turbas datum, atque Privilegium, Vocandi Ministros a DEO Ecclesiæ concessum, periclitaturum esse: Sed potius contrarium tenendum est, atque ex haec tenus dictis concludendum INCLUSIVE Voc. Externæ adæquatum constituere vocandi actum & NECESSARIAM omnino esse Vocationem Divinam Externam, nostris temporibus in primis, ubi nulla vocatio

Extraordinaria interna, in sensu fanatico, nullatenus exspectanda est. Interim hac occasione arguendi sunt illi, qui nimio ausu ad Vocationem suam Externam provocant, eamque Divinam esse jaētant, cum forsitan non per casus obliquos sparta ipsis demandata sit, licet nullis dotibus, muneri Theologico administrantibus & capacitate prædicti, nulla vocatione naturali ducti sint, sed potius ut sus Mineravam, sic illi studium Theologicum amplexati fuerint. Quos Carpzovius etiam harum circumstantiarum respectu ponderose admonet: Ne temere Vocationi externæ confidant, quippe quæ hoc casu sit illegitima & nulla Desin. Consist. Lib. I. Def. LXII. §. 7. Illi scilicet *sunt gigantes isti, qui cum cælo pugnant*, quomodo huc applicat Cicero de Nat. Deorum: Illi sunt, qui, ut cum Morhofio loquar, ultra naturæ opificem sibi sapere videntur, atque fata in ordinem redigere audent.

### CONSECTARIA.

**I. E.** *Ex dotibus cuique connatis seu indole animi omnium optime cognoscitur, ad quod quisque vita genus aut studia a DÉO sit vocatus.*

SCHOL. In superioribus sufficientia prelibamina hujus propinavimus Lectori, quare hujus consecatrii explicatio non multum immorabitur, id saltem hac occasione dabimus, qua ratione indeoles cognosci queat. Et hic persuasum est, non tutiorem esse viam, quam si effectus ejusdem indagemus. Licet enim, qui a priori rem tentant, & potius in caufas, quas supra memoravimus, inquirunt, positis omnibus ad influendum requisitis ad constitutionem dotium rite concludere queant, cum formidine tamen oppositi semper relinquuntur, anne forsitan vel in caufis determinandis vel etiam in applicatione earundem ad certum subjectum deliquerint. Accedit, quod influentia DEI specialis non omnium oculis sit exposita, & ejus ignorantia vel cœdipum fallere possit. Nec etiam sumendum est, ex manutum lincolis uniuscuiusque dotes propensionem & fortunam cognoscere vele, quod Chiromantes tamen plus quam ausu sacrilego expe-

experiri non erubescunt, cum nulla hic tanquam causæ ad suos effectus vel etiam effectus tanquam ad suam causam intercedere videatur ratio, nisi forsitan eò omnis pia eorum fraus tendat, ex aliorum manibus non tam his, quam sibi dotes h. e. munera promittendi. Et quid opus est, turbido causarum fonti sese immergere, cum limpidius ex effectuum rivulis hauriantur, eò, quod nemo has dotes facile disimulare soleat, & statim a pueritia simulare nescia sese tota indoles exserat. Hinc fit, ut, quos natura memoria tenacitate exornavit, non solum ea, quæ senes audiverint & viderint, apud alios dum obliuione sopita, memoriae altius infixa feliciter depromere, sed etiam leves circumstantias quascunque ad non intermitituram sepe reminiscentiam custodire queant; Ingenui vero leporem ex ludorum variorum non inepta inventione edant, & denique Judicii acumen in dijudicandis suorum Commilitonum actionibus emineat; Quanquam saepet tamen ob ignorantiam principiorum vel etiam ob affectus congenitos intellectum præcipitent, ut judicium in *dra<sup>g</sup>lav* ruat. At vero non tantum ad actiones eorum est attendendum, sed & ultra saepe provocandi sunt ad sermonem nobiscum vel aliis conferendi: nam loquela est *d<sup>z</sup>ón<sup>z</sup>is<sup>z</sup>*, non solum affectuum, sed & animi dotium proditor. Hinc etiam patet, quare Socrates maluerit Juvenes LOQVI audire, quam cū Pythagora per quinque annum ipsi silentium imponere, ratus scilicet, eos vel potius eorum indole se sic clarius posse videre; Licet nec Pythagoras suo in indaganda cuiusq; indole defuerit officio, cum iis, qui ab ore ejus studii gratia pendere vellent, arithmeticam proponeret, quia sic æque memoriae ac Judicii capacitatem commode cognoscere poterat. Teste Possevino Cap. XIX. Non vero major difficultas, quam quidem in propensione cognoscenda sese nobis objicit: Qyum enim a primis annis statim præjudiciis innutriamur & quamprimum actum sentiendi reflexum saltem accepimus, mulieres illæ, quibus cura nostri demandata est, eas artes & studia nobis commendent, iis que aures nostras demulcent, quæ quidem suo judicio non convenienti arbitrantur, vel ex quorum cultura infantato honores, lucra, & commoditates promittere possunt,

paulisper affectus dominans exfurgit, & propensionem a DEO  
 natura inditam a scopo suo deflecit. Quæ difficultas tamen  
 tunc superatur, quando ad dotes corporis ac animi atten-  
 dimus, & num propensio vividæ uniuscujusque facultati re-  
 spondeat, probe dispicimus. Hujus loci præterea quoque  
 effet, specimen exhibere, quænam in primis dotes huic vel  
 illi studio aut arti convenient, ut judicari possit, ad quam  
 quilibet vocatus sit; sed veriti, ne ob innumeram fere arti-  
 um & studiorum copiam hic effundendam metam dislertati-  
 onis transfillamus, quasdam saltem horum species in relatio-  
 ne ad suas prærequisitas dotes proferamus. Sic Theologia  
 memorie & judicii dotibus primario perficitur, corpore tamen  
 suas dotes, ut sonoram vocem, oculorum auriumque inte-  
 gritatem & in genere sanitatem his subministrante; Ex his  
 phænomenis facile cognoscendis recte colliges, eum, his  
 præditum, ad officium Ecclesiasticum interna DEI vocatio-  
 ne destinatum esse: Unde hoc respiciens Gisbert Voëtius  
 tandem concludit: *Vocatio interna clare agnoscitur ex dono-  
 rum ad illud minus idoneorum collatione.* Polit. Ecclesiast. P.  
 II. Lib. III. Tr. I. c. I. Ars Medica cum indolem primario  
 requirat Judicij ingenio maritamat, & debita corporis præ-  
 stantia non destitutam, quod illis inexploratum non est, qui  
 huic se suaque studia litant, is demum huic natus esse cre-  
 ditur, cui DEus hæc requisita præ coeteris indulxit; Et tan-  
 dem ad Jurisprudentiam nutus DEI eos ablegasse videtur, qui-  
 bus nulla intellectus dotum deceat, sed omnes sua vivacitate  
 gaudent. Hinc argumentum Barclajus: *Absolutum illud esse  
 ingenium, quod ad Rempublicam factum est.* c. X. p. 316. Et in  
 primis imaginatione aliis præstare debere Causidicos, quod sim-  
 ulatione quadam opus habeant, rite judicat Morhoff. I.c.p.  
 359. Coeterum, quibus specialibus disciplinis quælibet indoles  
 attribuenda sit, meo loco Huartus breviter exponat, qui me-  
 moriosos Theoriæ Legum Theologiae Positivæ, Naturalis &  
 Moralis Philosophiae; ingeniosos Poëseos, artis pictoriæ, &c.  
 capaces esse arbitratur. c.XIII. In genere tamen hic monen-  
 dum, in Vocatione Divina Naturali sciscitanda uno oculo qui-  
 dem ad dotes, altero vero etiam ad inclinationem esse respi-  
 cien-

ciendum, quæ si cum intellectus & corporis facultatibus conspirat, divina, ac acus magneticæ loco habenda, quæ non solum voluntatem trahit, ad quæ studia se componere debeat, sed & aliis quasi indice digito monstrat, quo Deus vocaverit.

**H. E.** *Salva conscientia quis a studio aut professione alia desificare potest, cui se non natum vider.*

SCHOL. Hoc non solum tangit eos, qui simpliciter nefas esse ducunt, a quoque opere seu studio semel inchoato retrahere manum, sed in primis etiam illis opponitur, qui a Theologia salva conscientia deficere posse neminem statuunt. Et quamquam hac ratione eos excusandos esse non censemus, qui naturæ bonitate studio conjuncta, sufficientem rerum Theologicarum apparatusi sibi acquiescerunt, ut multorum salutem hujuscemodi lucrari queant, postea tamen Promotionem desperando vel feliciorem successum in aliis studiis vana persuatione sibi promittendo, ad aliorum castra transeunt; eo tamen casu, quo quis vanitate aliorum inductus absque debita indole Theologiam exultum ivit, non solum licitum, sed & præceptum est, ut hoc studium cum alio ad suas quascunque facultates magis proportionato commutet, nisi vocanti Deo reluctari, & reipublicæ oneri, terræ ponderi esse velit, cui ad hoc tolerabilius est, talentum prorsus desodisse, quam absq; debito fœnore, cum onere tamen ut plurimum conjuncto in sinum ejus reposuisse. Et quæ quælo expectatio successus non teneat ejus, qui invita Minerva res sacras tractare pergit? Ego puto, eum non Theologum, sed Matæologum, non Oratorem Ecclesiasticum, sed impudentem postillatorem esse evasurum, atque tandem aliis studiis se inhabilem effectorum, eō modo, quo ex insito arbori ramo, qui naturæ stemmatis non convenit, non tantum nulli fructus expectandi sunt, sed naturalis etiam arboris luxuria efflorescendi & fructificandi evanescit, & tandem prorsus arida relinquitur. Et quamquam libenter concederim, concatenata industria id quoddammodo posse consequi, ad quod naturæ sufficienes vires dedisse haud visa est, vel ejus facultates exiguum relationem habent, tamen, perinde ut *Ιωάοθητον*, præter intentionem DEI quoddam studium sibi selegisse, ipsi abominatione.

ni est, cum contra quidam, DEum per indolem ad proportionatum officium vocantem fecuti, non solum gratiosam ejus assidentiam experti sunt, sed & ad excellentiores perfectionis gradus pervenerunt. vid. pluribus Dn. Joh. Jac. Lehmannum cit. §. XXX.

### AXIOMA III.

**Q**uisque debet dotes sibi inditas excolere.

SCHOL. Velle DEum, ut studio indefesso suam quisque indolem elaboret, hoc inter alia argumento est, quia nulla potentia naturalis ad obeundam artem vel Professionem adaequate sufficit, nisi habitu per crebras exercitationes acquisito adjuvetur, nec natura sibi soli relieta, absque doctrina omnem rem perficit. Unde Cicero male sentit, cum: *Ceterarum, inquit, studia doctrina & preceptis quidem constare, Po- etam autem natura ipsa valere & mentis viribus excitari, & quasi divino quodam spiritu inflari.* Orat. I. pro Archia Poeta c. VII. nam experientia testis est, consummatissima ingenia nullis eruditia ad Poesin adminiculis, stultitiae quidem, non vero Poetæ notam mereri, quæ ideo Huartus caprea ingenia vocat, eò quod cœco impetu in varias idearum compositiones ruerent, quas tamen inter nulla intercederet connexio l.c. Unde auxiliatrices ut utraque, tum natura, tum doctrina invicem porrigit manus, sicuti ad excellentiam quandam velimus adsprire necesse est. Illa sit quæ promat, hæc quasi coqua, quæ apparatum a natura productum præparet, atque in usum hominum convertat: Et hoc ipsum demum Senecæ est *beate vivere & secundum naturam, si corporis dotes & apta naturæ conservabimus diligenter & impavide,* de vita beata c. VIII. Unde ex Platonis sententia: *Humanum ingenium cultura fit divinisimum, & hæc si desit, diabolicum,* quare inter causas etiam doctum Educationem sollicite ponit test. Possev. c. X. A qua regula, quam multi abeant, in confessio est, quos vehementissime arguit Langius, cum naturæ bonitate freti luxui & pigritiæ se dedant, eo quod una hora tantum efficere sustineant, quantum vix integro die alii Supplm. Baieri Theol. Mor. p. 121. Qua tamen peccaminosa securitate non solum seipso &

& alios spe sua excidere patiuntur, sed & aliis inferiores scientia & aptitudine discedunt atque sic impigro otio mentem geniumque corrumunt. Quorum auribus tamen, ut Lipsii vox insonaret optandum, ad Alvaradum sic scribentis: *Videsne arbores quasdam sine cultura crescere & foliis lignisque luxuriant, sed alias fructus vix adest, & umbram ac speciem modo praebeant. At in cultis & humana manu factis, inscriptione etiam emendatis, vides usum multiplicem & fructificare, non solus obumbrare quo te, imitare.* Cent. V. Epist. 42. qua de causa etiam Auranio suo illustre hoc testimonium praebuerat: *Grata mihi ejus indoles, & cum in dolore studium.* l. c. p. 988. An vero tantum Moralibus Mediis h. e. doctrina, preceptis & industria, non insimul quoque Physicis & artificiis Medicis cultura facultatum animi sit suscipienda, id ambigua sane est questio; quam tamen feliciter decidisse sibi persuasit Posnerus in Disp. de memoriae adminiculis, in qua de comparanda per Medicinas vel alia Media in primis memoria, consilium subministrat, cui tamen se opposuit M. Wernher in Disp. de Impedimentis cognitionis humanae. Cui etiam eo magis meum calculum adjicio, quia anceps hujus medelæ eventus esse assoler, & ut fuso illinata facies ad tempus equidem forma-fa adpareat, postmodum vero deformes relinquat rugas, sic artificio comparata memoria quidem aliquantum floret, postea vero marcat, & nullam saepe vivacitatem spirat. Adde, quod judicij vigor hac ratione imminuat, ut nimis ideis obruta ejus acies tandem hebes reddatur, unde Huarrus recte judicat, eos, qui memoriae praestarent, non posse praestare judicio e. XXI.

## CONSECTARIA.

I. **E** Antequam nos ad professionem quandam accingamus, probe pro-  
beque cognoscenda sunt doles & inclinatio.

SCHOL. Qua ratione cuiusvis indoles cognosci possit & debeat, supra demonstratum est; a quibus id fieri debeat, necesse est, hic explicari. Ubi id certe negotii non temere humeris sceptrum portare solitus cum Platone imponemus, qui putat, eminentissimum supra reliquos Magistratum instituere debere, ut ad cum ingenii examinanda, praesertim puerorum atque adolescentium adducantur, Lib. I. de repl. quod tamen suo tempore Nebucadnezar praestitit, feligendo ad discendas Chaldaeorum literas pueros ingenio selectissimo praeditos Dan. I. Sed quilibet ipse secum habitet, & norit, quam sit ipsi vel curta vel dives naturæ supellex, Quod ubi paulisper  
ad 20.

adoleverit quisque, facilius fit, quoniam juventutis vanitates & præconceptas opiniones in dies exuit, atque ad intimos animi sui verosque recessus penetrare discit, quid valeant humeri quid ferre recusent &, quo primario & vere propendeat. Unde inconsultum non est, tamdiu se ad aliquod vitæ genus non determinare, quamdiu non indolem nostram perspectam atque cognitam habuerimus. Sed quia tamen multi citra sui serutinium temere magis, quam consilio, & si consilio, tamen magis honore ditiis & similibus illecebris illecti, quam Vocatione Naturali ducti, aliquod vitæ genus amplectuntur, inclinatio sœpe quoque affectata est, a nutricibus ceterisque inquinilis instillata, Parentibus datum est, ut intimius in mentem liberorum suorum inquirant atque ipsis prospiciant, ne citra genium aliquid discant. Quo collimat aureum Petri Gregorii monitum: *Primam liberorum curam esse debere indolis i[n]daganda, n[on] quid discant, invita, quod ajunt, Minerva, ut sciatur, num habeant naturalem, ad ea studia, quibus destinantur, propensionem.* Lib. XV. c. 1. de repl. Plurimi interea Parentes vitæ in eundem conditionem non ex liberorum inclinatione & innatis dotibus, sed ex suo cerebro siveque ipsorum inclinatione metiuntur; Unde, si Dominus matri artes liberales ob gloriolam vel commoditatem majorem quam ex ignobilibus artificiis aucupandam arrideant, filius, renuente ipsis natura in hilominius ipsis conferatur. Qua occasione mihi lepida ex Barelajo historiola consideranda venit, de muliere Hispanica eaque paupera nec vix centonibus digna, cui cum tribus liberis precarium spiritum tristi mendicitate prodere necesse erat: Hæc, cum aliquando incidisset in Gallorum cœtum, commotus est unus ex his, ut mulieri promitteret, se velle suorum liberorum primo genito de victu & amictu prospicere, dummodo sibi serviat; At illa respondit: Ne DELIS hoc siverit, o mi homo, ut filium meum in tam humilitatem damnam, qui aut tu aut ego sciamus, in quæ fata sit genitus filius, aut quam claris virtutibus patriæ sic subsidium paraturus: Satis illi sit, si ita fata tulerint, inedia potius extingvi c. VII. de Hisp. Indole p. 225. Quemadmodum autem laxior & mollior educatio, quæ Parentes liberis ecco quasi impetu & affectato sœpe in aliquod vitæ genus amplectandum ruendi libertatem relinquunt, Scylla, sic coactio & præter cognitionem dotium eorumdem ad professionem temera propulsio Charybdis est, æque salutis interitum filiis minitans. Quare Plato præcipit: *Non tanquam coactos pueros disciplinis, sed quasi ludentes enarrias, ut & magis, ad quod quicunque natura sit aptus, positis agnoscere.* de Repl. Consulendi quoque sunt Praeceptores, idque eo magis, quia tam præsumuntur ex

pe-

experiencia judicium suum ita instruxisse, tum quotidiano cujuscunque intellectus suorum discipulorum examine didicisse, quæ ars, quæ facultas cuique excolendi si suadenda. Unde supra provocatum est ad summos illos Juventutis moderatores, qui peculiari ratione ob eundem finem ingenia explorare non designati sunt. Et quis nescit, Democritum quoque cum Protagora fascem solvere justissime, ne nesciret, qua capacitate quæcumque natura edidisset. Quid ipsam quoque Taprobanum, ne inexploratum haberent, adduci non potuerunt, quamquam aliam viam cognoscendi ingredierentur. Diod. Sic. Lib. II. Bibl. Sed nec hi semper rem acu tangent, & quandoque optima ingenia stupidis annumerant, sicuti forte non omnibus statim, quæ citra relationem indolis suæ ipsis propoununt, non pares esse videantur, cum certe singulorum indoles non uno eodemque hamo expisci possit, nec quæ memoriosus statim tenaciter capit, a judicio expectantur, ut prompte reperenda, sed trahit sua quæcumque voluptas & vis animi congenita, ad quæ DEUS vocat, non quo ex ignorantia intellectus virum forsan Praeceptores sepe tendunt. Unde si forte contingat, ut aliorum præceptorum cura demandentur, qui ad ingenii vires suam doctrinam conformant, subito excinere, quo obiectus erat, ingenii splendor emicat. Et quemadmodum foeminae interdum ante steriles aliis viris juncta concipiunt, sic illa ingenia foecundantur mutatione & sub alio alioque Doctore.

**H.** *E*sse sit Pauper sive Dives, obligatus est, sua naturæ bona qualiacunque excolendi.

SCHOL. Iniquam, ut plurimum experti sunt fortunam, in quorum sinum natura suas divitias profudit: Et heu! quam summa sepe ingenia in easa straminea jacent! Unde apprime queritur: an & illa eximias suas dotes ad destinatum a DEo finem debeant conferre? Ubi quidem Regule Prudentiae id non suadent, siquidem pauper ubique jacet, nec sine pecunia rerum gerendarum nervo ad magna adspirare facile licitum est. Athenæa quidem dantur quamplurima, sed sunt quasi mercaturæ, ubi quidem bone artes exponuntur, sed non nisi numerata pecunia venduntur. Unde si vel maxime terra filii genii bonitate albæ, quos vocant, gallinæ filios longe superent, consultum tamen non est, absque debitis subsidii quicquam tentare, cum ægre ad metam præfixam, egestate cursum inrepercidente, pertingatur. Unde & Hulsemannus bene monet: *Horum omnium (Naturæ dotium & sumptuum hoc seculo necessiariorum) ante computandi sunt calculi, ne postquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes, qui vident, incipiunt illudere & dicere: Quia hic homo exopteditus*

*ficare & non potuit consummare, ex Luc. 14,29.sq. in sua Methodo.* Studii Theol. p.211. Hoc tamen casu, quo aliorum quis beneficis sublevatur manibus, omnino obligatus est suas sibi dotes a benigno Numine concessas excolendi, & eo ferventiori studio tractandi.

Et sic tandem DEus quoque pro sua immensa bonitate non solum dat velle, sed & perficere, ut quos iniqua fortunæ conditio in squalorem projectura sit, naturæ muneribus aliorumque elemosynis aucti, in splendorem magnarum dignitatium exsurgant. Nec nostris quoque temporibus defuncti stipendia, pauperibus concedenda, quæ unice eo tendunt, ut ad studiorum culturam, ad quæ natus quisque sit, impendantur. Et hac ratione quoque patescit obligationis fundamentum, qua ditiores ejusmodi, pauperibus sumptus necessarios erogandi, tenentur. Cum autem e contra haud raro accidat, ut quos fortuna bonis suis locupletavit, natura fere inanis reliquerit, quo parera vestigia in honoribus & qualitatibus legere nequeant, non inutiliter hic disquiritur: num nihilominus ea studia, sublimiora tamen suis naturæ viribus excolere possint, per quæ tandem ad paria honorum fastigia promoveri liceat. Quia quæstio, si ad lancem justitiae expendatur, & ponderetur, Vocasse DEum unumquemque per suas qualescumque dotes & inclinationem ad proportionatum his dotibus officium, neganda omnino est. Et hac ratione, si nobiliores etiam ignobilis indeoles ad vilia artificia ducat, iis ex Voluntate Vocantis DEi destinandi sunt, idque ideo quoque, quia naturam secuti, multo utiliores se reipublicæ, quam quidem ejus duclum responentes reddere possunt: At obijcis; sic multum splendori alicuius familie derogat: Respondeo, licet etiam: Melius est, deroget famæ, quam quidem justitiae; nec vere etiam derogat, nam si naturalia non sunt turpia, turpitudinis quoque nota illi adsperrgenda non est, qui naturam ad humile, honestum tamen vitæ genus Ducem sequitur, quorum existimatiōni, si ratio ejus habenda, optime consultur, ut si propensio id non impediat, ad statum militarem se accingant, ad quem iudicio Buchneri ignobilis indeoles etiam sufficit, dicentes: *Ad militiam non semper acribus & acquisimis ingenis opus est, sed mediocribus & hebetibus.* in not. ad Barcij. l. c.p. 33.

#### AXIOMA IV.

**Q**uisque debet suas sibi inditas dotes in salutem societatis applicare-

SCHOL. Societas quippe, cum mutuo officiorum vinculo consistatur, & si forte disruptur, maximum capiat detrimentum, non potest non DEus ob eandem causam indidisse cuique certas dotes, ut excultis iis membra sibi invicem necessitatis & commoditatis officia præsent. Hinc

Cicero

Cicero argumentatur: *Nos non tam nobis natos esse, sed Patriæ.* De Se-  
nect.

## CONSECTARIUM.

**E**. *Inmilia, inhonestæ ac ludicra vita & genera non sunt amplectenda.*

SCHOL. Magna equidem dementia multos cœpit, ut freti suis  
divitiis otio dotes corrumpant, atque inter mortua societatis membra refer-  
ri velint; sed nec minori stultitiae nota inurendi sunt illi, qui inutilibus  
studiis desudant, persuasi, se ex iis posse gloriam, honores &c. venari, cum  
tamen labor istiusmodi vanus sit, ac multa agendo tandem nihil egisse di-  
cendum sit. Quorsum tamen tendunt non tantum illi, qui in Criticis ni-  
miis ac Theoreticis acquiescent, sed & , qui solum scholæ, quod in prover-  
bio est, non vero vita discunt. Hinc quo Vocationi DEI satisfiat, omnes  
animi ac corporis dotes intendendæ sunt, cum primis studia seculi colendo  
societatis commoditas quærenda est. Unde si forte Eloquentia ab omnibus  
exosculetur, in amplexus ejus ruendum est, sicuti natura felices in hac dis-  
iplina spondeat profectus, nec naturalis Inclinatio remoretur. Ceterum,  
quanquam libere concedamus, posse quem aliorum jucunditatis gratia su-  
æque utilitatis ergo ejusmodi studia tractare, quæ huc faciunt, ut qui in ar-  
te saltatoria &c. studium collocant, dummodo utiliori adhuc studio sele-  
dicit, ludicris vero & inhonestis, quales sunt histrio[n]es præstigiatores  
item chartarum lusoriarum artifices, & id genus alia se totum velle mancipa-  
re studiis, id est, quod societati non tam proficuum, quam potius sa[me]p  
damnonis est, nec adeo Vocationis Divina Objec[t]um constituit. Et meo  
judicio, quazvis Respublica ejusmodi homines toleret, consultius tamen  
esse autem, ab his mentem animumque avertere, nec pretiositatem su-  
arum dotium tam leviter insumere. Quid enim quælo aliud est, dotium  
suarum munera in has artes profundere, quam aureo vovere velle terram  
scindere? Quare Pufendorfius etiam serio inculeat: *Cuique eligendum est  
vitæ genus HONESTUM, Proficuum & suæ capacitati conveniens J.N.  
& G.p. 257.*

## AXIOMA V.

*Quæque debet suas dotes in nominis divini gloriam convertere.*

SCHOL. Laudat alias opus artificem, & munera quæque tacite  
invitant ad præconium datori exsolvendum: *Quidni & DEO fatori natu-  
ræ ejusdemque dotium datori?* Ipse est, qui eas plantavit. & quamvis A-  
pollo doctrinæ flumine rigaverit, neutiquam tamen ad expectatum fructum  
excrevissent, nisi benedictionis suæ rore ingenia imbuisset.

*Quæ ergo ipsi non sunt occinendæ laudes? quæ pangenda carmina?*

Est

Est certe non contemnenda felicitas naturæ, natum esse hominem ad duas res, nimirum ad intelligendum & agendum tanquam immortalis DEUS Cic. Lib. 2. defin. Sed ecce mantissam adhuc: Dotes puta, ex beneplacito DEi non eodem modo, sed varie inditas, quas admiraturus ac prædictaturus Plutarchi animus tandem in hæc verba erumpit: Εὐδαίμονα μὲν Συνεργοφίλην, εἰ τῷ τάυτα πάντα Θεῶν τις ἀπόδοσεν, de Educat. lib. Predicent ii justitiam DEI, quos natura forsan steriles stupidosque produxit, hi ipsius bonitatem, quos præ illis dignatus est, dotibus suis corpori ac animo communicatis, ad magna societatis emolumenta decernere ac vocare. Quibus partibus tūm demum satisfiet, si adminicculo harum dotium vitia intellectus subegerint, ac voluntatis propensione ad bonos mores virtutemque colendam ferantur. Eo quippe modo DEus ad virtutem, quam quo ad officia vocat; Unde Morhosius arbitratur, virtutem necessario debere conjungi, cum disciplinis; hinc ad Græcorum iuquias provocat, quæ suo sensu tum habitum ad disciplinas, quam virtutem secundum nutum DEi excolendam importaret l. c. p. 350. sq. Et quantum non dispendium sit, post lapsum degenerasse hominum animos, ita, ut ad vicia magis, quam virtutes propendeant, quo Lipsii verba quoddammodo quadrant: Ecce natura semina bona mentis nobis ingenuit, fami-  
les & scintillulas, que in aliis magis minusve eluent, ut est animi temperies, sed tamen opinionum pravitate (Peccato originis.) hoc natura rectum depravatum est. de Const. Lib. II, Diss. X. Sed doctrina in primis coelesti a Spiritu Sancto in verbo sua proposita, purgari ac quoddammodo emendari possunt, ut intellectus ~~sciam~~ habeat, qua & restituere, & voluntas, id quod bonum est, sumere & optare posse, ut cum Arist. loquar l. 3. Nic. 5. Hæ itaque virtutum cultura gloria DEi exaltatur, laus perhibetur, gratia a-  
guntur. Quare & nostri officii memores, non solum finem Dissertationi imponimus, sed & DEo nostro pro facultate eandem elucubrandi & in studio studiorum nostrorum hactenus feliciter decurrenti, ad quod vocaverat, immortales persolvimus grates. Ipse ut a primordio vitae suis nos nature muneribus dignatus est, sic imposterum gratia & Spiritus S. donis nos aliosque ulterius exornet, quo in Reipublicæ salutem & in sui Nominis gloriam convertere queamus.

## EPIMETRA.

I. THEOLOGUS non est, qui non est PHILOSOPHUS.

II. In Orationibus sacris argumenta sua ad Temperamenta Auditorum, non item ad prejudicia conformare, non ultima Prudentia Ecclesiastica pars est.

III. Ex sana ratione etiam patet: Ex inferno non dari redemtionem,

S. D. G.

00 A 6280



56,



**Farbkarte #13**



Q. D. B. V.  
DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
DE  
**VOCATIONE DIVINA  
NATURALI,**  
QVAM  
CONSENSU AMPLISSIMÆ FAC. PHI-  
LOSOPH. IN ACADEMIA LIPSIENSI  
P R A E S E S  
**M. FRIDER. GOTTLIEB. Krantz/**  
SCHKEUDITZ. MISN.  
DIE III. FEBRUARII MDCCXIV.  
PLACIDÆ ERUDITORUM DISQVISITIONI  
SUBMITTIT,  
R E S P O N D E N T E  
**JOHANNE HENRICO FISCHERO,**  
GERA-VARISCO.  
SS. THEOL. STUD. ET PHILOS. BACCALAUR.  
L I P S I A E,  
LITERIS ANDR. MARTINI SCHEDIL.